

*Infracta in Rota fracta Constantia, 14*

*triumphi Virginei insigne Decus*

In

PARTHENO - SOPHA MARTYRE  
D. CATHARINA

Coram

Senatu, Populôque Academico  
Almæ Cæsareæ, Regiæque Universitatis Ca-  
rolo - Ferdinandæ Pragensis

SUB RECTORATU

*PERILLUSTRIS, GENEROSI, CLARISSIMI, ac EXCELLENTISSIMI*

VIRI

D. JOANNIS FRANCISCI LÖW,

Sac. Rom. Imperii, & Provinciarum Hæreditariarum Equitis ab Erlsfeldt,  
Domini in Logowitz, & Modletitz, Philosophiæ, J. U. & Medicinæ Doctoris, Sac.  
Cæs. Regiæq; Majestatis Consiliarii, in præfata Universitate Pragensi Primarii Præcos  
Professoris, Regii, Publici, ac Ordinarii, Sacri Lateranensis Palatii, Aulæque  
Cæsareæ Comititis, & Medici, Ejusdémque Universitatis p. t.

RECTORIS MAGNIFICI;

*Inter Anniversaria Divæ Tutelaræ solennia*

In Basilica Salvatoris Soc. JESU Pragæ ad S. Clementem  
Panegyricô illustratum


*Ab*

IGNATIO KOMINEK Societatis JESU Religioso.

*Anno M. DCC. XVII. Mense Novemb. Die*

---

PRAGÆ, typis Univ. Carolo-Ferdinand. in Collegio Soc. JESU ad S. Clementem.



# ORATIO.



Uem purpurata Majestas tua;  
Senatus Academice, sive metum, sive motum in novello eloquentiæ hospite excitavit; eò me deduceret, ut à rostris ad silentia, pro Tullio veneraturus Pythagoram, inglorium cogitarem regressum; nisi ejus, pro qua standum est, Virginis, masculò majus robur, extinctam redanimaret dicendi Facultatem. Quid enim suffixum, quod cernimus, aræ theatro eçlypon, tacità quàdam declamat facundià, nisi viriles in Fæmina vires? quid nisi Giganteam animam, & omni altiorem metu heroidem: in cujus etiam pugno compendjata fortitudinis universæ sit medulla. Jam superbiens ille sub tali tantaque dextra acinaces pulchro magnanimitatis fulgure audacem profligat metum, tremulos firmat humeros, & veluti Alexandrinus irrypta timoris vinculo labia solvit ad loquendum. Laçtea suadæ Virginæ labia dum in furorem tyrannidis severa vibrant fulmina, pusillanimitatem Oratoris ad dulcissima Eloquentiæ invitant flumina. Gloriosum

sum illud palmarum, laurearumque nemus, jam triumphales exam-  
biens manus, jam eruditissimum allambens verticem, in generosam  
nativæ tenuitati meæ spem virefcit; audere: metum abstergere: &  
ad pertexendam panegyreos celam Logo-Dædalum jubet festinare.  
Bene habet! persuadet mutâ etiam facundia, ad dicendum vel exa-  
nime animat simulacrum. At at quid sibi in illo rota? rota? infor-  
tunatum omen, quia fortunatum! credâne ergo ipsam Constantiam  
non jam sibi similem, sed quâ, nescio, metamorphosi in Protheum  
transformatam, ignominiosô instabilitatis symbolô vitiari? credâne  
columnam Catharineam, inter ipsa collabentis orbis rudera, à lapsu  
futuram immunem, exuta jam firmitate induisse vertumnum? An  
cum vetustate delirat Sapiencia, & fortunam nunquam unam, semper  
exosam sapientibus proponit in Catharina? ut ut sit, hæc rota, uni-  
versa Catharinæ fortitudinis evertit encomia, ipsiusque etiam Ora-  
toris conceptus aded in gyros agitât, ut in principiô Epilogum, in  
capite reperiam pedes. Parenefeos hujusce oneri, quisquis vo-  
let, eloquentiæ Atlas succollet humeros, ego delegatæ ad Te Fa-  
cultas Philosophica, jam resigno Provinciæ, paradoxa ofus orator.  
Quid enim rotam, mutabilitatis indicem, fortitudinis Virgineæ mo-  
niméntis esse juxta positam, designat aliud, atque eam fortem esse  
in imbecillitate, magnanimam in timore, immutabilem in variabili-  
tate? mihi sanè constantia, & fortitudo, sorores sunt, mutuô quôdam  
cognitionis vinculo altera alteri illigata, aded, ut si alterutram ne-  
gas Catharinæ, utramque negare necesse habeas. Sit enim verò  
licet illa mulier, sed mascula; sit Fæmina, sed non effæminata; sit  
Virgo, sed virilis; sit de sexu fragiliore, sed infracta, & quæ nil  
reliquis commune habeat, non modò ex costa, sed & Costis, etiam  
virò fortior Alexandrô, Virgo Alexandrina. Quid Amazones, il-  
lud Martiæ generositatis compendium, fortitudinis epitome, belli  
nervus, quid amabò, & ipsæ erant? mulieres erant, quibus mulie-  
bre nihil, imbecillum nihil, omnia magnanima, omnia invicta, ut ipsa  
usque aded provida cæterum rerum parens natura in hoc sanè erro-  
ris rea videri potuisset, quòd debitos masculæ juventuti animos, ini-  
qua forte, in sexum alterum transfudisset. Vellem equidem has  
hodie adesse redivivas! esset: unde suam in Parthenosopha Regi-  
nam ad.

nâm adorarent; esset: unde victrici Heroinæ festiva psallerent epi-  
nicia, unde se superatas agnoscerent nunquam superatæ: quarum  
oculis, si vel inter amica noctis papavera, quampiam tantæ fortitu-  
dinis vicariam inspersisset speciem Morpheus, dudum Virgineis pal-  
mis herbam adjunxissent. Expunge jam tandem aliquando rotam  
de hoc fortissimæ Virginis simulacro, artis Leges egressæ Apelles!  
oleum & operam perditu ibis, ni penicilli in rotæ orbem exorbitantis vi-  
tium castigâris; oleum negabit Catharina, in istud super Olympi Sinai-  
tici vertice eliquata, operam jam perdidisti, quia universam egypti  
elegantiâ, hócceævò deformasti, annullasti. Columnam rotæ  
suffice, cui sese submittant Colossi Ægyptii, eique pyramidata Mem-  
phis in obsequium inclinetur; & ita clarissimum fortitudinis Cathari-  
næ meridiem nulla labe eclipsabit. Sed motos compono flu-  
ctus, nec jam ultra crepidam in opere Apellæo cenfor progrediar;  
subscribo sententiæ, & apertis, quod ajunt, tibiis, tuum decanto Con-  
siliium, pictorum primipile! agnosco hanc non inconstantæ esse ro-  
tam, in rota fracta namque nihil volubilitatis; nec rotam Fortunæ;  
sed virtutis, rotam stantem, nulli obnoxiam instabilitati. Hæc ergo  
Virtutis rota, quæ inexpugnabile præliantem quondam Virginis egie  
scutum, nunc mihi triumphalis pompæ Catharinæ esto argumentum;  
cum qua, dum mea movebitur oratio, Tu invictissima Heroina, la-  
cteam gratiæ tuæ affunde ambrosiam, nè fortassis cum ea in  
siccò hæream; Vos verò, Magnifice Domine Rector, Spectabiles De-  
cani, Eximii, Clarissimi, Excellentissimi, Doctissimi que Professores,  
vestrarum gratiarum afflate favonios, quibus aspirantibus rota mea  
ad felicem promotâ terminum, rota mihi fiat fortunata.

Qui festivas triumphantis urbium Dominæ pompas videre aspi-  
rabat, dignum suò, dignum coeli oculò volebat spectaculum, au-  
gustum superbæ Majestatis miraculum. Vidisset enimverò vel  
cum uno Æmilio, novum puriore textum auro terris inferri meri-  
diem, aureas Tagi arenas in unum ejectas triumphum vidisset, nec  
suum Coelo solem invidisset. Vidisset post humiliatas Gallorum  
acies evectam in triumphale effedum Cæsaris magnanimitatem, am-  
plissimo, æquè ac splendidissimo Superbam Comitatu, & stellatum  
Cynthiæ satellitium eclipsari credidisset. Vidisset gloriosos a Dal-

matis Augustos, ab Armenis Antonios, à Sabinis Horatios, quorum gesta fortissima, ipsi stupenda Marti, non modò in sonorum effusus applausum adoraret, compendiatas in Urbe Orbis: verum ipsa ut ut fera belluarum Majestas adornaret. Ibi suam ferociae monstra ponebant saeviciem, ut festivo micantium undique rotarum motu gaudere mererentur. Ibi effraenes alias, fræna vovebant Belluarum Reges, Regales Belluæ Leones, ut obsequiosam in victores humanitatem non uni inesse homini declararent. Ibi portentosam oblitæ molem ferarum gigantes elephantum, victrici colla subiciebant jugo, ut pulchro pondere liceret gloriari. Ibi conscia nativæ vilitatis humus, triumphalem pompam, vix mediis ausa lambere labiis, debita palatiis induebat aula, ut fastuosius calcaretur. Ibi denique totam sese effundebat natura; totam ars exhibebat, utraque felicitatis suæ arbitrata incrementum, si Romanâ magnificentiâ contingeret exhausti. At at quid hæc gentilis superbiæ jaçantur rudera? umbras insequimur: plenam gloriæ spectaturi lucem in Trophæo Catharinæ: Triumphat illa, & jam sæculorum decantata elogiis Victorum Quirinalium Majestas vilescit in egestatem; jam splendor Latius latere dignus oblivionis aspirat tumulum: jam, ut aptentur tumulo, triumphantium pallent purpuræ, velut si in lacte Virgineo infame naufragium paterentur: novâ nimirum hostiles ausus debellandi methodò usâ Virago, egit, quod agi posse cogitabat nemo, ut plûs omnibus triumpharet. Egit, ut crudelitatem sterneret innocentia, audaciam vinceret modestia, Virum sæmina. Egit denique (quæ victricis gloriæ prima est gloria) ut furor ipse à purpurato cruoris castissimi helluone accitus in arenam, ferociae instrumenta, victoriæ virginæ faceret argumenta. Quam quidem miraculo parem immanissimi furoris humanitatem, si animi oculis indulgere non gravamini AA. Spectate hircanam tigridem, Maximini barbariem, Spectate ferocientem in homine belluam. Jam ille improbißima furori agglomerat imperia, jam ligna circulari in rotam, ferrum aptari in absidem, radios armari in gladios, nihil non jubere, quod dementiâ, quod vesanæ æstrò percita ratio svadere videbatur. Crederent hic ipsæ adeò Heroum aquilæ in una rota dedecorosam Catharino nomini paratam æternitatem. Crederent Philosopham tot dilemmatis, quot

quet ferratis rotæ armatæ cornibus ad manus falsitati dandas compellendam: Crederent totam vitiosò hóc furoris circulo involvendam, quæ congregata Sophorum ingenia, nuperrimè ita excæcasse visâ est, ut fidei viderent Lumen: ut pulsus perfidiz umbris veritatis Luce animarentur. At enim apagite injuria integerrimæ magnitudini deliria, ipso in Catharinam furore sæviora. Ille sanè suas jam nauseans Erynnæ, Alexandrinæ blanditur Amazoni, atque ita circulatur in orbitam, ut ad litandum Virgini homagium cicuretur, & quod voveri magis poterat, quàm sperari, triumphali servituras pompæ rotam offert, cujus optatissimò subsidio Heroidum Regina, in laureati honoris apicem provehatur. Atque hæc erat rota, quæ deerat in festivum triumphum motum; jam namque nuper alteram, spretum exfolutura annulum detulerat liliata Virginitas, Sacrationem venerata Daphnen, quæ lusis Maximini amoribus, aut in Laurum migraret, aut Lauros pareret eruditibus etiam verticibus celebrandas. Alteram amica Virgineo pudori Sapiencia dedicabat: dignissimam diviniore genesi, Alexandrinam Palladem honoratura, ut quæ Cælo tot gigneret capita, quot vinceret, Mulier caput Virorum, etiam Sophorum. Utriusque tandem liberali, excita obsequio virtutum anima fortitudo, rotam firmabat aliam, quod sexu fortior, ætate major, seipsâ sublimior, inter tormentorum fulmina impavida, inter deliciarum Sirenes immota, semper eadem, tanto munere dignissima videretur. En terna Sacrarum Charitum obsequia: aptissima provehendæ victoriæ instrumenta; at quibus utilissimas tulit suppetias Tyrannis ipsa, in rota quarta, bis secundum asserens donum gloriæ triumphantis. Atque indè ego perennaturo nomini tuo bene ominor Parthenosopha! age, plenum honoris scande currum, integro rotarum quaternione super Orbem æthereos provehenda. Sileant pyramidata trophæa sua Cæsares, in Colossis meta gloriæ, non plus ultrà: in rota æternitas. Sileant arcuatos honores Constantini, etiam in rota arcus, sed perpetuus. Sileant simulacra Memnonæ, nisi pulchra arte, in tua solvi velint encomia, cui ipse in septenis ostiis, septies festivum adnurmuraret Nilus, nisi fluidos labilesque triumphos te nôisset detestari. Scande triumphale essedum; tacita rotis tuis teilus lætescet in lilia, ut Virginitatem venerc-

venēretur; vireſcet in Oleas; ut ſapientiam; in palmas effloſceſcet; ut adoret fortitudinem; ferreis ſeſe roſtris Sinaitica ſubmittent montana, nē furore aſperiora cenſeantur. Verū enim verò, quos ego ante victoriam immaturos buccino triumphos? Quid feſtivos conglomerero plauſus, ut rotarum gratuler incrementum? niſi erro, ultrices Cæli flammæ temerò excivi tripudiò! fulminatur rota, in cineratur gloria! actum eſt, nunquam futilibus excanduit ignibus æther. Quanquam quis fulmineas Cælo loqui furias arbitretur, euomendas in Virginem terrâ altiorem? quis invidos credat ignes ad comburenda gloriæ inſignia conſpirare? furit, polus, & rotam ferit, at in rota non rumpit victoriam, gloriæ curſum promovet, non abrumpit. Illud nimirum trophæum inflammata deteſtantur ſydera, quod debellandam arbitratus Heroïnæ Maximinus ſuæ ſpondebat crudelitati. Illa fulmineo impetu explodunt jübila, quæ poſt atratas immaniſſimæ Tyrannidis nubes ventura ſomniabat. Gloriæ Spem exurunt in herba, ſed quæ virebat Cæſari; enervant vires, ſed viri; ut foecundus alioquin tormentis animus ſterileſcat, & in rotâ ſua ligneum evolvi conceptum Magnitudini Catharinæ imparem deprehendat. Adeò gratioſa tonantis Cæli ira eſt, ut ruinæ instrumenta in gloriæ fulcimenta convertat. Sed enim nunquid ad plauſum aurigabit Parthenoſopha infirmis concuſſæ rotæ innixum fragminibus eſſedum? nunquid non claudo provectæ curru ſalſo ſcazonte illudet verſus in Zoiliū Tyrannus, veterem illum imitatus Vulcani Sugillatorem, qui per Junonis iras curvo pede didicit ſcandere Choliambum? Parce metu: quiſquis eſ, in fragmentis triumpho integritas! glorioſius Victrix provehi non potuit, quàm fractâ orbitâ ad motûs feſtivi Solennia concurrente. Amicus iſte rotam impotentis Cæli furor, luculentum ic̄ti cum Catharina foederis adurus teſtem, adest, ut feſtiva triumphanti adjungat incendia, ut è carceris obſcuritate protractam illuſtret conſtantiam; verbò, rotam fulminat, orbitam frangit, quod cum circulo volubili, mutabilitatis Symbolo, variari neſciæ Virgini commune velit eſſe nihil. Serviat Victricis triumpho rota, ſed fracta, ſed inſtabilitatis dedecore ſpolita. Quid enim Catharina? Olympum pingis, qui nubibus altior caput erigit: ſublimem monte mentem non attingis. Solem

em effigias, vultu integro infeſtas ſyderum noctes deſpicientem: non idumbras. Leonem offers Scythicos inter canæ hyemis rigores valentem, cui vires augentur acerbis; ex ungue Leonem noſco, in Leone Virginem non agnoſco, plus ultrâ. Adamantem exhibes inter ferreos ſævientium incudum ic̄tus illæſum, percuſſum, non concuſſum; naturæ beneficiò virtutis Magnitudinem obſcuras. Pinge Heroïdem Olympò altiorem, Phæbò ſereniorem, Leone fortioſiorem, adamante durioſiorem, & Catharinam inter barbaros crudelitatis turbines imperturbatam, inter horridas tyrannidis tempeſtates integram, riſus blandientis perfidiæ ſevero contemptu deludentem depinxisti; dignam triumphali rota, ſed volvi neſcia, ſiderei furoris, an favoris ſonoro influxu ſtare docta, quia fracta. Retrahe jam vaniſſima vertumnæ artis tuæ molimina Maximine! incuſſum tentas molere, incaſſum, ut cum rota moveas Catharinam, ad ſuppeticas ſive Aquilones evoces, ſive Zephyros! affundas licet aureum cum Nilo Tagum, immota triumphabit. Novi equidem pretioſum Macedonis actum, qui vileſcente ferri robore, ut vinceret, aurò dimicandum credidit, auratis occurrendum haſtis ratus inimico, quem ferreis durioſiorem vidit. Sed enim circeis licet artibus, an fraudibus, Ulyſſea cedat ſagacitas, Catharina ridebit etiam Macedonias.

- - *Credas ex æthere lapſam  
Stare pudicitiam.* Claud.

Sic ſtat: ſic purpurati Cupidinis retundit pharetras: ſic omnem adulantium amorum ſerenitatem Sacratioſior obnubilat Penelope; Virgineis ſcit nivibus ſervare fidem ad Æthnæ invidiam; nē impudico ſine fronte & mente Veneris ardore in purulentam tabem colliqueſcant. Talem me hercle

- - *Nulla refert antiquis pagina Libris,  
Nec Latie cecinere tube, nec graja vetuſtas,  
Non jam Conſule digna Probo,  
Sed Sponſo digna DEO.*

B

U

Ut quæ fulminatrice orationis facundia, & in rotam sævire novit, & severiore pudoris innocentissimi supercilio adulantem fulminare annulum, nè volubili involveretur, capereturque sive furoris, sive amoris artificiod. Sic stetit nivea integritas inter blanditiarum æstates; an etiam integra fides inter furoris hyemes? fatigavit illa tyrannidem: stupuit victricem tyrannis Virginem! cui carcer illustrabatur in Cœlum, fames pingvescebat in delicias, sitis in nectar dulcescebat; nec tantum rigidissimisangebatur jejunijs illa, quantum inter basilicas etiam epulas Maximinus; quod isti deessent tormenta, quæ inferret; illi recentes adessent vires, quas ad patiendum offerret. Antæus à lapsu fortior, pulchrum commentum! Catharina à fame robustior, commentod pulchrior veritas! Quid verod jam cæteros immanissimæ ferociæ ausus memorem? Quid asperrimis sociata verbis vulnera? palmas ibi, & laureas una legebat Virgo, ubi Virorum plurimi cum Publio Hostilio Pavori & Pallori, templa dedicassent. Sic stat gloriosod invictæ virtutis suffragiod, triumphali aptandam pompæ rotam merita; sed quæ in fortissimæ Constantiæ petram allisa frangeretur, fracta felicius provehendæ victrici famularetur. Felicitatis patriam, Orbis Urbem ingressa subinde fortuna, nè Quirinis mænibus elabi posset unquam hospes pretiosâ, rotam ponere jussa est, perennibus protegendam vigilijs. Ad crudelitatis barbaræ, ad magnanimitatis Christianæ arenam evocata Collis, acceptod cælitus, sive imperiod, sive subsidiod, rotæ volubilitatem adimere debuit, nè ab agone ingloria revehi, in Tyrannidis rota provehi valeret, rotâ Romanâ dignior, quàm Alexandrinâ. Uno nimirum firmantis, an infirmantis rotam ictu, universa enervantur molimina; jam evacuatum rotat caput tyrannus, & dum invitatos ad sæviendum mucrones, Sanctitati Catharinæ in gloriosos abijsse videt radios, tot dolorum lancinatur aculeis, quot furiarum stimulis agitatur. Sed macste animo Maximine! superest adhuc in arena consilium à capite; acephalam tibi reliquit Græciam, dum quinquaginta perfidiæ primipilis, Sapientiæ Gentilis Capitibus orbavit, Tux insuper potestatis minuit Imperium, cum superstitioni rebellem fecit, cujus caput eras, Règni, Thorique Sociam. Age tot reo capitum ruinam minare capiti, violare aufa purpuram, rubescat

in

in Sangvine, nisi pœnitens erubescat. Egit enim verod & istud, ut ageret omnia Crudelis Sanguifuga; quanquam egit nihil, postquam pertinax constantia ita ferro caput opposuit, ut cum Lauro cæsa triumpharet, verticem æternitati coronandum transmitteret potius; quàm Idolis flecteret: postquam pro sanguine, quem sitiēbat immanis helluo, lacteam propinavit ambrosiam, quæ recentes Veritatis Filii alerentur ad salutem, & viam Martyrij, viam esse lacteam, non cruentam, oculorum caperent experimentod. Usque adeo fractâ jam rotæ inconstantia vertiginem pati nescit erepto capite Catharina, pulchrô candidæ Virginitatis diluvid, teterrimi furoris insaniam dum abluere non potest, confundit. Age jam, si quid virtuti patriæ, si quid gloriæ tuæ indulges Alexandrine Orbis, ad triumphales festina rotas! Colossos junge, candido notatum lacte pro calculo diem fastis annumera! Age, æternaturas mete lauros, gloriosum coronaturas verticem, sparge palmas Victrici effedo impleendas. Romanorum triumphet nemo, nisi quina vicerit millia; hæc legis severitas. Romanis amplius triumphet Catharina! hæc virtutis benignitas. Si etenim millium decadem in Gigantum monstro, Polyphemo altero, Goliatho inquam, Jessus stravit Duculus, quot in uno millia vicit Maximino? Et verod suspicio jam victricia triumphalis pompæ auspicia, suspicio sive lacte, sive oleo confortatas ad provehendum rotas; captivatam fidei libertate Reginam cerno ancillantem, in satellitium sapientissimam conspirasse intueor Græciam, lapsos in terras Cœlos spectro, Cœlitum choraulas audio, ad sublimis gloriæ solium, triumphale effedum promoturos. Atque indè, nè plausibus obstrepam, diæionis meæ sisto orbitam, vel indè fortunatam, quia ad rotam tuam, Victrix Partheniosopha hodie impactam! Jam illa sacratis substernitur plantis, hęc felicior, quod depressior. Provehere! at simul eod pro innata lactæ beneficentiæ tuæ gratia, Candido-rubicundæ Auliacorum fortunæ provehe rotam, ut ad portam Ottomannicam gloriosâ conquiescat.

D I X I.